

ANDREAS DE TRAIECTO MONACHVS.



ANdreas de Traiecto in Belgis oriundus, literarum cupiditate S. Benedicti ordinem suscepit, & diligentem operam literis impendit. Itaque quando cunq; per occasionem licuit, atq; negotia sua in templo perfecit, ad libros redijt, atq; rara eruditiõne in magno pretio fuit, anno Christi 1445. Scripsit is librum Soliloquiorum hominis ad Deum, item de Profectu uirtutum, de Abstinencia carniũ, de Vsu floccorum, cum uarijs collationibus, carminibus & epistolis, quæ ad posteritatem peruenerunt. Hinc factum est, ut suis uigilijs locum inter rerum scriptores inuenerit. Gess. in Bib.